

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

An Heterodoxi exegetae, fidelius quam Catholici, sensum rerum Scripturarum expresserint.

Disputationes philosophicae Modernistam inter et Thomistam.

Religiosa musicæ in theatro.

Paroemia sive Adagia; Oleum et operam perdere. — Ne sutor ultra crepidam. — Suo Marte. — Cantherium in fossa. — Equus in planitie. — Principatus Seyrius. — Callipides. — Gladiator in arena consilium capit,

Roma. Carmen Iacobi Ioannis Hartman Batavi.

Spinelli Aretini tabula Delparam referens in caelum assumptam.

Colloquia latina. Explicationum repetendarum ratio.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimæ se-

Iectae. Ex Congregatione S. Officii. — Ex Congregatione Rituum. **Diarium Vaticanum.** Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Varia. — Vita funeti viri clariores.

Annales. Bellum inter Italos atque Turcas. — Turcarum internæ res. — Regia itinéra.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

librorum recensio. (I. M. Mcunier).

libri recens dono accepti.

Numismatum collectoribus monitum.

Aenigmata.

Appendix; Anthea.

An Heterodoxi exegetae, fidelius quam Catholici,

sensum rerum Scripturarum expresserint

Leo XIII (*Eccles. Prov. Deus*), diffitendum non esse, ait, religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit. Et ipsem S. Petrus (II Ep. 3, 15, 16) de « charissimi Fratris Pauli » epistolis loquens, scribit: « In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem ». Propter quae omnia, de Sacrae Scripturae libro versiculus ille recitatur :

*Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque.
Invenit et pariter dogmata quisque sua.*

Quinam est igitur dux, ad verum sensum S. Scripturae iudicandum? Conc. Vaticanum (Sess. 3, c. 2, Denz. 1637) declaravit: « In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus est, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sacrarum ». Hisce firmiter retentis, quaestiuncula nova exsurgit: « An, - videlicet, - Heterodoxi exegetae, fidelius quam catholici, sensum verum Scripturarum expresserint ». Affirmativam partem Modernistæ, solo novitatis amore ducti, amplectuntur; negativam vero vir catholicus amplecti debet.

Heterodoxi exegetae non expressisse fidelius sensum verum Scripturarum appareat :

a) Ex quibusdam falsis S. Scripturam interpretandi principiis eorum, quorum primum est, sistema *luminis interni*, iuxta quod, quilibet Christianus a Spiritu Sancto immediate illuminatur ad verum sensum

Scripturae tenendum, neque ullis regulis indiget. Quod quidem systema facto contradicit; quum enim unus et idem sit Spiritus illuminans, non unus et idem est sensus, sed prout Vinc. Lerinensis ait (1): « Eiusdem (Scripturae) eloquia aliter atque aliter aliis atque alias interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illius sententiae erui posse videantur ».

Secundum systema, a Rationalismo biblico saec. XVIII edoctum, est systema *accommodationis* iuxta quod fatendum est Iesum Christum, Christique Apostolos, respectu librorum N. Testamenti, Iudeorum erroribus sese conformasse tum moraliter tum paedagogice, tum dogmatice. *Moraliter* quidem actionem praescriptam ponendo, vel licitam actionem omittendo, ne eorum conscientia scandalum pateretur. *Paedagogice* etiam vel doctrinam suam Iudeorum intelligentiae attemperando, vel doctrinam mentem eorum transcendentem omittendo. *Dogmatice* vero, et quidem *negative*, non statim sed convenienti tempore eorum errores reiiciendo, vel indirecte tantum refutando; *positive* autem aperte, externeque errores docendo, quos forsitan interius reprobabant.

Accommodationis systema tum Christi tum Apostolorum sanctitatem offendit. Christus enim (Io. XVIII, 37,) fassus est: « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati »; dum Apostolus (*Ad Gal. I, 8*) ait: « Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit ».

Tertium systema, systema *interpretationis moralis* vocatur, iuxta quod in Scriptura Sacra, nonnisi moralia praecepta inquirenda sunt, quum cetera omnia idest revelatio, dogmata, miracula, prophetiae, historia, nullum possideant valorem.

Ex Christianae apologiae documentis scimus, quam leviter absurditates a systemate interpretationis moralis affirmentur.

Adest quartum Rationalismi biblici systema, id est sistema *interpretationis psychologicae*. Non secus ac in tertio systemate docetur in hoc, sola praecepta moralia esse in sacra Scriptura quaerenda, miracula vero, doctrinasque supernaturales methodo quadam psychologica explicanda esse. Ex. gr. miraculum de turbis famelicis a Christo quinque panibus saturatis, ita explandum est, videlicet non Iesum Christum solummodo, sed etiam alios omnes, quinque panes liberaliter dedisse, ad turbas saturandas.

Systemate tam puerili relicto, ad ultimum sistema heterodoxorum exegetarum, sive *interpretationis mythicae*, veniamus. Iuxta mythicam interpretationem, meri mythi sunt narrationes Geneseos capituli primi, Samsonis, Esther, aliaeque totius Veteris Testamenti. Mythi puri sunt miracula, prophetiae ceteraque omnia supernaturalia, quae de vita I. Christi in Novo Testamento narrantur. Hoc vero interpretationis mythicae sistema, a negatione cuiusque ordinis supernaturalis procedit, atque factis manifestis contradicit. « Si enim Christi miracula, — animadvertisit optime Lamy, (1) — non sunt nisi figmenta, explicit rationalistae, quomodo absque miraculis efformata sit Ecclesia, quomodo creverit et adoleverit, quomodo per omnes gentes propagata sit, quomodo, devicta idolatria, devictis principibus, devicta haeresi, devicta corruptione, devicto tempore, cui nec fortissima resistunt imperia, usque hodie subsistat totius mundi victrix et triumphans; quomodo duodecim viri illiterati, rudes, agrestes, absque divitiis, absque eloquentia, absque armis, absque potentia potuerint, quod nec philosophi celeberrimi nec principes potentissimi efficere valuerunt; quomodo duodecim viri absque ullo humano auxilio hominibus persuaserint ut idola deserent, mores suos corrigenter, omnibus commodis renuntiarent, ut hominem infami crucis suppicio damnatum adorarent, mortemque pro ipso libenter sustinerent. Certe non sunt fictitia, non sunt mythica ista Evangelia, pro quorum veritate innumeri martyres sanguinem suum fuderunt. Qui enim pro fabulis mortem pati vellet hucusque non est inventus ».

*
* *

b) Ex auctoritate Leonis XIII. — « Id nimium decet, ait Pontifex (*Prov. Deus*), ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despiciatis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detimento fidei explicationem locorum quaerat, in quibus catholicci ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis, incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutquam reperiri, neque ab eis tradiri posse, qui verae fidei expertes, Scripturae non medul-

lam attingunt, sed corticem rodunt ». Nonne Clemens Alexandrinus (*Strom. 1, 7*) asserit, « illos, qui adversus ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, regulam veritatis amisisse »? Nonne pulchre Vincentius Lerinensis (*Commonit. 2*) statuit: « Aliter illam (Scripturam) Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam variis erroris anfractus ut propheticæ et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur »?

* * *

c) Errore hoc adserto, catholicorum exegetarum auctoritas parvi facienda esset, et in rebus quidem gravibus, quod admitti nequit. Nam M. Cano fatente (1), in quacumque arte peritis credendum esse ratio monstrat. Nec enim sanus haberetur, qui nautis in navigandi ratione non crederet. Qui igitur in arte hac de Theologiae dogmatibus disserendi, experientibus et exercitis nullam fidem habet, aut parum sanus, aut certe temerarius est.

Merito propterea Pius Papa X damnavit propositionem XIX^{am} Syllabi, quae sonat: « Heterodoxi exegetae fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici ».

REGINALDUS FEI O.P.

(1) *De Locis Theol.* Lib. VIII, c. IV.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM⁽¹⁾

MODERNISTA. — Tu ultimo asserebas, cum tuo Angelico, in singulis actibus liberis dari quid naturale et necessarium, nempe amorem boni in communi, ita ut nihil faciat homo neque facere possit nisi « quia placet » in voluntate facere, etsi aliunde addantur et angustiae; ille enim qui mortem tremens appetit, appetit « quia placet appetere », non obstante tremore. Seu, si malueris, amor boni in communi a natura ipsa est, atque cum natura a Deo et creatur et conservatur et applicatur; neque, posito obiecto, esse potest quod non existat. Si quis hunc amorem boni in communi, qui in omni actu prorsus et naturaliter existit, atque demum causa etiam est cur deveniatur, etsi libere, ad amorem boni particularis, veri aut apparentis, praemotionem reipsa physicam vocaverit, non videtur esse erroris culpandus: amor quippe ille et motio est physica et motio praevia a Deo ipso creante, conservante, applicante est.

Sed tamen nondum soluta difficultas ex integro est, siquidem in actibus nostris, praeter illum amorem boni

(1) THOM. I. LAMY. *Introd. in s. Scripturam*, 1, p. p. 265, Ed. 5^a.

(1) Cf. num. v.

in communi, datur et amor boni in particulari; boni, inquam, aut veri aut apparentis. De quo altero hoc amore interpretamentum tuum exposco, siquidem res mihi semper salebrosa prorsus visa est.

THOMISTA. — Res prorsus salebrosa, amice carissime, et a saeculis, ut neveris, disputata. De qua plurima inquiruntur passim, sed praeprimis quomodo transitus fiat ab actu rationis ad actum voluntatis, et quomodo integra remaneat creaturae intellectualis libertas et activitas, sub actione Dei pariter integra et libera, in electione boni particularis. Utrumque paucis summisque principiis, omissisque variis sententiis, me tibi proponere liceat, ita ut quasi omnia compendiose praecipuis habeas, simulque et connexionem et convenientiam omnium possis perspicere. Quod praestabo, nisi fallar, per analysim summariam iudicii practici, qualem exhibit Angelicus, imprimis in suo *De veritate*. (1)

In omni igitur actione humana practice decernenda duo dantur necessario iudicia: unum quod vocatur examinis, seu consilii, alterum electionis, seu executionis.

In hoc convenient, quod utrumque est conclusio singularis de eadem actione. Sed multiplicitate simul differunt: primo quod illud sit de obiecti dignitate, cur nempe unum sit praecipue alio eligendum, istud vero decernit executionem illius quod per iudicium consilii fuerit approbatum, sicut et in iudiciis forensibus decernitur primum sententia, deinde executio sententiae; secundo quod illud respicit obiectum in se, istud vero ut ab illo approbatum; tertio quod illud habet rationem principii, istud conclusionis; quarto quod illud non supponit necessario actualem amorem obiecti, istud vero omnino supponit; quinto quod illud respicit τὸ posse, istud τὸ facere; sexto quod illud praecedat electionem prioritate existentiae, imo et temporis, ita ut ab electione seiungi possit, istud vero necessario comitem habeat electionem, ut mox dicturi sumus; septimo quod illud a voluntate reiici possit, istud vero, dum perdurat, non possit electionem ipsam retractare, licet potuerit impediri ne esset, atque possit cessare, iubente voluntate, vel attentione etiam cessante.

Istae, inquam, duae ultimae differentiae sedulo sunt investigandae quoad iudicium electionis, siquidem ex hac intelligentia apparet quo respectu sese mutuo habent iudicium electionis, quod actus rationis est, et ipsa electio, quae est voluntatis actus. Rem Sanctus Thomas, brevi, clara et firma sententia expressit more suo dicens: «Animus, quando perfecte imperat sibi ut velit, tunc iam vult». (2)

Videlicet, etsi iudicium electionis et ipsa electio quoad singularem actum distinguenda sint, attamen separari nequeunt, ita ut si quis iudicet hic et nunc esse agendum reipsa agat infallibiliter; et si iudicet hic et nunc esse eligendum, reipsa eligat; de ratione existentiae

unius sit existentia alterius, nec detur ullus inter illa eadem ordo successionis, sed coexistentia omnimoda. Iudicium electionis et electio ipsa sunt sibi invicem causae: siquidem electio, ut est amor finis, causat actum iudicii, cuius aliunde est etiam causa finalis; sieque est prior iudicio electionis prioritate naturae; dum e contra iudicium electionis, vi amoris finis, applicat voluntatem ad eligendum, atque electionem ipsam vi propria specificat: seu, ut aliis verbis explicem, iudicium electionis non est nisi applicatio actualis voluntatis ad electionem, quae esse nequit absque passiva applicatione voluntatis diligentis, seu sine electione; sicut aliunde electio ipsa, quum sit ex cognitione finis et mediorum, non potest esse sine iudicio electionis.

Licet tamen, illa duo, dum perdurant, sese invicem importent, integra remanet libertas, tum quia ante electionem animus potuit non procedere ad iudicium electionis; tum quia, perdurante ipsa electione et iudicio electionis, possit animus ab hoc iudicio et ab hac electione alio divertere et cessare, sicut de facto frequentissime divertit et cessat.

Patet autem, sub electione poni et imperium et executionem, quae electionem sequuntur.

Omnia igitur in actibus humanis pendent ultimo ex iudicio practico, quod ubi perduret, importat infallibiliter et iudicium electionis et ipsam electionem, inter se necessario coniuncta, licet utrumque quis vel potuerit non admittere, vel admissa possit reiicere, mutato iudicio, unde salvatur libertas.

Atque demum in hoc consistit rectitudo et iudicii praedicti et ipsius electionis, quod iudicium electionis sit rerum veritati conforme, nempe decernat id esse bonum hic et nunc exequendum, quod reapse hic et nunc bonum est.

Ita igitur electio boni, quae voluntatis actus est, dici potest infallibilis et contingens: infallibilis, inquam, eo sensu quod infallibiliter concomitetur iudicium electionis; contingens et fallibilis, eo sensu quod illud iudicium potuit non assumi et possit dimitti.

Si quis igitur primo id efficiat ut intellectus obiectum apprehendat quale in se est, atque inquirere velit ut oportet; secundo si ita dirigit intellectum ut iste iudicet agendum id quod est agendum, unde infallibiliter voluntas in huius electionem prodeat; tertio iudicium istud perdurare faciat, proindeque et electionem, is, inquam, voluntatem in bono infallibiliter firmabit.

Deum autem quam facilime praestare posse in comperto est: et quidem, sicut a principio diximus, ita ut homo velit iuxta modum cognitionis: Deus videlicet dirigere et illuminare potest iudicium illud examinans et consilii ut res apprehendat atque decernat ut oportet; ut perduret huiusmodi iudicium, et tunc eo ipso electionem voluntatis infallibiliter firmet in bono. Et haec iterum erit aliqua praemotio physica.

Unde Angelicus: «Alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium et deficere possibi-

(1) Quaest. 17, a. 4, 4.

(2) XII^{ae} q. 17, a. 5, 1^m.

lium pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus, loco eius quae deficit, vel ne altera deficiat ». Et infra : « Liberum arbitrium deficere potest a salute. Tamen, in eo quem Deus praedestinat alia adminicula praeparat quod vel non cadat, vel si cadat quod resurgat : sicut exhortationes ac suffragia orationum, donum gratiae et alia huiusmodi, quibus Deushomini adminiculatur ad salutem. Si ergo consideramus salutem ex parte causae proximae, scilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam ; respectu autem causae primae habet certitudinem ». (1)

Quod intellige, uti patet ex verbis, non hoc sensu, quod Deus adminicula illa praeparet, quibus praevidet hominem recte usurum, sed quod illa eadem praeparet ut homo recte utatur.

Si attente legeris conversionem Sancti Pauli, vel sancti Augustini, haec omnia quasi pree oculis tibi prostabunt. Sed de his alias.

I. I. B.

(1) *Verit.*, q. 6. a. 3.

RELIGIOSA MUSICE IN THEATRO

Communi ex sententia, palam recepta, certos modos certasque leges omnino esse servanda, ut musices cantusque tributum Deo in templis offeramus, illud evenit, ut quoties inter musices dramata quae in scaenam prodeunt, aliquid religiosum aut sacrum agatur, toties vocum sive fidium concentus eas induat formas, quae a profanis reliquum per drama descriptis quam maxime distinguantur et religiosis sensibus per quam aptissimae videantur. Quae profecto non ita ad unguem in templorum cantu forte servabantur, ubi nulla proxima comparatio cum solituore concentu pertimescenda erat.

Res vero a primis musicorum dramatum scriptoribus parum tentata fuit, neque XVII aut XVIII saeculo religiosi concentus unquam in scaena auditи sunt. Prima enim aetate sive apud Italos, sive mox apud Gallos atque in Germania musicos dramata Graecorum Romanorum tantum gesta obtulerunt.

Primi sacri cantus specimina in theatro, Galli medio saeculo XIX edidere, quum drama agerent cui titulus : *Robert le Diable*. Quamquam enim dramata italica duo, *Vilhelmus Tell* et *la Muta di Portici*, religiosum aliquod ante Robertum illum habebant, religiosam tamen musicen proprię adhuc non protulere. Nam chorus Vilhelmi, operis pulcherrimus atque suavis plenus moestitiae, non in templo, sed prope illud exauditur. Sed quum *Robertus* ageretur, ipsum templum actores ingrediuntur totumque drama inter sacros hymnos coramque altare resolvitur.

Scaena quidem magnificentissime lateque solemnis est, ubi Robertus atque Bertramus anxii atque furentes in templo manent, dum sacrum melos diffunditur religiosum atque pium ; nec sua maiestatis quidquam amit-

tit, ita ut non iniuria Richardus Wagner de Meyerbeerio diceret traditum illi esse munus, ut doceret in scaena quomodo de divinis rebus ageretur. Huius simile melos in dramate, cui *Propheta* titulus, profertur, cuius quarta actio in templo ita proponitur, ut una cum hominum canto divini atque religiosi cantus seorsim atque pulcherrimi audiantur.

Similia fiunt Gallico in dramate *Faust*, quod Goethe scripsit et Carolus Gounod cantu vestivit : ibi enim duos inter modos, religiosum alterum, alterum satanicum, scaena agitur, ita tamen ut modus uterque invicem in nodetur vocemque divinam Satanam quodammodo imitetur, quo magis ei irrideat.

At quum Margarita Deum precatur ut ad altare ipsa accedere possit, pulcherrimus cantus est, atque tum verbo, tum prece, tum supplici concentu sensus in animo piissimi commoventur, ita plane ut nullis tunc organis vocem comitantibus aliquid paene *Gregoriani* qui dicuntur cantus, iam preebeat ; quod si plurimae voces concinerent, religiosum omnino melos haberemus. Neque alias forte auctor ipse simile pium melos adinvenit, neque quum *Felix culpa*, neque quum *Mors et vita*, aut *Ave Maria* cantus notissimos componeret.

Sed religiosae musices maximum opus *Parsifal* Richardi Wagneri habetur : sacrum ibi omne drama ; neque una scaena est tandem, quae in templo prodeat, sed omnis actio pium sacramque sensum preebet. Ibi enim et tempus, et locus, et dramatis personae sacra sunt, et a christiana religionis ritu praecipuum actionis argumentum preebent.

Ipsae tunc tubae fidesque, quas Wagnerius tanto studio ludere voluit, hominum vocibus locum cedunt ; atque sacrum organum peculiare adhibetur, nempe aes campanum. Quod enim campanum aes in Wagnerii dramate pulsat, ita cantat, ita precatur, ut nulla humana vox sciverit unquam ; vivamque fidem studiumque Dei fervidum ita pandit, quae anima hominum perraro senserit. Eo in dramate campanum idem aes pergrave dedit sacrae musices exemplum, quod sane iuxta modum omnes imitarentur.

Piissimi pariter atque purissimi cantus sunt quos Parsifalii equites concinunt a *Sancto Graalio* nuncupati : tum enim Wagnerius, ut proprium sacrarum rerum melos adhiberet piisque concentibus uteretur, gregorianam monodiam atque polyphoniam illam assumpsit, cuius Petrus Aloisius Praenestinus inventor exstitit atque magister.

Ibi imo in modis sacris qui in templis adhibentur, ab hominum vocibus organa vineuntur, atque humanis modis adorationes, preces, supplicationes exprimuntur.

Parsifalii itaque scaena, pulcherrima inter eas quae unquam in theatra prodierint, veluti exemplar apparent, aut ego fallor, futurae etiam musices, quae in templis exaudiatur, servatis ipsis monitis, quae Pius PP. X in *Motu proprio* notissimo sapientissime postea edidit.

I. A. C.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Oleum et operam perdere.

Hoc est: quidquid insumpsisti, seu rei, seu laboris, id frustra insumptum est. — Metaphora ducta est a gladiatorum ac palaestritarum certaminibus, in quibus certaturi unguentis quibusdam oleaceis perungebantur. Cicero in *Epistolis*: «Nam, quid ego te athletas putem desiderare, qui gladiatores tempseris? In quibus ipse Pompeius profitetur se et oleum et operam perdidisse».

Quamquam potest et ad lucubrantium lucernas referri, sicuti Cicero fecisse videtur, scribens ad Atticum (lib. XIII): «Ante lucem quum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te, et ante lucem dedi». Idem ad eumdem alibi: «Non deflemus, ne et oleum et opera nostrae philologiae perierit; sed conferamus tranquillo animo». Quo quidem in loco plus habet gratiae, quod ad rem animi trans'atum sit. Ergo hic oleum pro «sumptu» positum est. Nam et sic effert adagium Plautus in *Rudentibus*: «Et operam et sumptum perdunt». — Eodem pertinet etiam illud quod corvus ille salutator sonare didicerat: Opera et impensa periit. Cuius fabulae meminit Macrobius in libro *Saturnalium* secundo: «Sublimis — inquit — Asiatica victoria revertebatur Octavius. Occurrit ei inter gratulantes corvum (quidam) tenens, quem instituerat dicere: Ave Caesar, vicit, imperator. Miratus Caesar officiosam avem viginti millibus nummum emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmaverat Caesari illum habere et alium corvum, quem ut afferre cogeretur, rogavit. Allatus, verba quae didicerat, expressit: Ave, vicit, Imperator Antoni. Nihil Caesar exasperatus, satis duxit iubere illum dividere donarium cum contubernali. Salutatus similiter a psittaco, emi iussit eum. Idem miratus in pica, hanc quoque redemit. Exemplum sutorum sollicitavit, ut corvum institueret ad parem salutationem; qui, impedio exhaustus, saepe ad avem non respondentem dicere solebat: Opera et impensa periit. Aliquando tamen corvus coepit dicere dictatam salutationem. Hac audita dum transit, Augustus respondit: Satis domi salutatorum talium habeo. — Superfuit corvo memoria, ut et illa quibus dominum querentem solebat audire, subtexeret: Opera et impensa periit. — Ad quod Caesar risit, emique avem iussit quanti nullam adhuc emerat». Hactenus Macrobius.

S. Hieronymus ad Pammachium videtur huic adagio velut alterum quoddam adagium substituisse: «Oleum perdit et impensam qui bovem mittit ad ceroma»; siquidem hoc ipsum «bovem ad ceroma mittere», proverbium sapit pro eo quod

est docere indocilem, aut ad id muneric quempiam adsciscere, ad quod obeundum minime sit idoneus, videlicet ingenio repugnante. Nam ceroma dicitur unguentum, quo olim ungebantur athletae; id ex oleo certisque terrae generibus conficiebatur. Porro ad certamina bos inutilis est.

Ne sutor ultra crepidam.

Dictum est ne quis de his iudicare conetur, quae sint ab ipsius arte professioneque aliena. Adagium natum est ab Apelle, nobilissimo illo pictore, de quo Plinius (lib. XXXV, c. 10) scribit in hunc modum: «Idem perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia quae notarentur, auscultabat, vulgum diligentiores iudicem, quam se praefferens; feruntque a sutori esse reprehensum, quod in crepidis una pauciores fecisset ansas. Eodem postero die superbe, ob emendationem pristinae admonitionis cavillante crus, indignatum prospexit, denunciantem, ne supra crepidam sutor iudicaret. Quod et ipsum in proverbium venit». Hactenus Plinius.

Huic simillimum est quod refert Athenaeus. Stratonicus citharoedus fabro secum de musica contendenti: — Non sentis — inquit — te ultra malleum loqui?

Eodem pertinet, quod huius nepos in epistolis scripsit de artificio non recte iudicare quemquam, nisi et ipsum artificem. Quodque primo *Moralium* libro dixit Aristoteles earum rerum unumquemque iudicem esse idoneum, quarum sit eruditus. Et quod idem scripsit lib. II *Naturalium*, coecum disputare de coloribus. Quae etiam verba in proverbium abierunt, quoties quispiam de rebus ignotis disputat. Ad eamdem sententiam referendum quod ait Fabius Pictor apud Quintilianum, felices futuras artes, si soli artifices de iis iudicarent.

Suo Marte.

Quoties, nullis auxiliis adiuti, nostropte ingenio, propriisque viribus rem peragimus, nostro Marte operari dicimus. Tullius (*Offic.* lib. III): «Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro». Idem de Deiotaro loquens (*Philipp.*, II): «Rex enim ipse sua sponte, nullis commentariis Caesaris, simulatque audivit eius interitum, suo Marte res suas recuperavit». — Cod. (lib. II, tit. *Ne liceat potentioribus*, cap. I): «Bene admodum constituit Claudius consultissimus princeps, parens noster, ut iactura causae afficerentur ii, qui sibi potentiorum patrocinium advo- cassent, ut, hoc proposito metu, iudiciae lites potius suo Marte decurrent, quam potentiorum domorum opibus niterentur». Rursus (lib. III, tit. *De iudiciis*, cap. XI): «Illo proculdubio obser- vando, ut, si neque per alterutram litigantium partem,

nec per iudices steterit, quo minus lis suo Marte decurrat, sed per patronos causarum, licentia detur iudici».

Translatum videtur ab Imperatoribus, qui suis ipsorum auspiciis et copiis bellum sustinebant; siquidem Plautus etiam «meis copiis» dixit, pro «meo Marte».

Sapiunt proverbium etiam illa: «Vario Marte — Dubio Marte — Iniquo Marte,» neque longe diversum est illud: «Non absque Theseo».

Cantherium in fossa.

Rusticum proverbium, quamquam e re militari natum; quo licebit uti quoties quis ad id negotii trahitur, in quo nequaquam valet; aut ubi res vehementer erit impedita periculosave. Refertur a T. Livio (*Decad. III, lib. III*). Narrat autem, quum Fabius Capuam obsideret, bello Punico secundo, Iubellum Tauream, inter equites Campanos nobilissimum, e Romanorum exercitu quemvis ad singulare certamen evocasse, ausumque prodire Claudium Asellum. Deinde, ubi diutius uterque alterum libero campo elusisset, Campanus in cavam viam descendere iussit, alioqui equorum non equitum fore certamen. Eo quum Romanus, re quam verbis ferocior, exemplo descendisset, rursum elusit Taurea sermone, qui postea in rusticum versus est proverbium: Minime scis, inquiens, cantherium in fossa?

Quamquam ex Livianis verbis parum liquet adagii sensus, tamen coniecturis facile deprehenditur. Pugnat autem cum adagio illo altero communi: *Equus in planicie*; etenim, quemadmodum plurimum valet equus in planicie, ita minime valet in fossa.

Equus in planicie.

Quoties ad id aliquis provocatur, in quo plurimum valet, quoque vel maxime gaudet, adagium aptari potest: equus enim in campo, tamquam in sua est harena. Apud Lucianum in *Captivo*, quum ipse iudices postularet, Plato respondit: «Hoc ipsum, quod dici solet, equum in planiciem», hominem rhetoricum significans et in agendis causis exercitatum. — Synesius in epistola quadam: «Ad hoc ipsum certe provoco, equum in planiciem, iuxta id quod dicitur adhortari me putans». — Translatum videtur a militia; nam quoties res est pediti cum equite, pedes fugit campestria, sectaturque loca impeditiora.

Principatus Scyrius.

De frigido tenuique regno; Scyrus enim insula petricosa et infrugifera, nec ullius bonae rei ferax. Suidas addit quosdam referre proverbium ad Thesem, qui quum Lycomedis ditionem invasisset,

brevi praecipitatus sit. — Adagium eleganter accommodabitur ad munus aliquod, unde praeter inanem tilulum et molestam administrandi curam nihil emolumenti capitur.

Auctor Zenodatus.

Callipides.

Callipides olim proverbio dicebatur qui in molliendis negotiis quum multa se facturum minaretur, nihil tamen conficeret, aut, quemadmodum ait Terentius, qui sedulo movens sese, nihil promoveret. Tullius (*ad Att., lib. XIII*) hoc verbo notat M. Varronis tarditatem, qui, quum magnas quasdam spes ostenderet, se nihil unquam absolveret. — Suetonius in *Tiberio*: «Ad extrellum vota pro itu ac reditu suo suspici passus est, ut vulgo iam per iocum *Callipides* vocaretur, quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, proverbio Graeco notatum est».

Parum vero liquet utrum omnis proverbii ratio sita sit in Callipidis cognomine, a pulchritudine equorum deducto, quemadmodum indicat Aristophanes in *Nebulis*; an aliud quoddam fuerit proverbium, quod in Callipidem sit dictum, uti ex Suetonii verbis coniectura sumi posse videtur. Deinde quis hic fuerit Callipides, cuius tardam celeritatem notarit adagium, nec satis perspicuum est, nisi quod haud veri dissimile videtur accipiendum esse de Callipide tragediarum histrione, cuius meminit Plutarchus in apophthegmatis Laconicis, unde coniicere licet hominem ita gesticulationibus uti solere. ut, quum mira agilitate moveri videretur, a loco tamen non discederet.

Gladiator in arena consilium capit.

Admonet paroemia e re nata mutandum aliquando consilium, et tempori, quod aiunt, serviendum.

Refertur a Seneca (*Epist. ad Lucil., III*): «Iam intelligis — inquit — educendum esse te ex istis occupationibus speciosis et malis. Sed quomodo consequi possis, quaeris.

Quaedam nonnisi a praesente monstrantur. Non potest medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere: vena tangenda est. Vetus proverbium est, gladiatorem in arena capere consilium: aliquid adversarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis intuentem monet. Quid fieri soleat, quid oporteat in universum et mandari potest et scribi. Tale consilium non tantum absentibus, sed etiam posteris datur. Illud autem quando fieri debeat, aut quem ad modum, ex longinquu nemo suadebit: cum rebus ipsis deliberandum est». — Caesar (*Bell. Gall. V*): «Quod plerumque his accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur».

ROMA

CARMEN IACOBI IOANNIS HARTMAN BATAVI⁽¹⁾

Urbs aeterna ! tuas (vix possum credere) iamiam
Augustas sedes, mox, o, tua templa videbo,
Miraborque tuas artes ! Quot nomina clara
Iam mihi nunc aurēs permulcent murmure dulci !
Quodque magis pectus gestit mihi, ponere gressus
Iam dabitur quacunque tulit vestigia quondam
Gens antiqua virūm : Flaceum spectare videbor
Quosque alios fecit caros mihi pagina lecta
Iam puero ; nunc haec spatiabor qua prius ille,
Nunc illac alias mecum ibit priscus amicus.

Talia mente agito quassat dum publica rheda
Insomnem, volvoque eadem cum corpore toto
Langidus optatae tandem do membra quieti.
Tunc, o tunc sensim mihi quae spectacula surgunt,
Quas voces audire datur ! Quas denique rumpit
Certior atque eadem cunctis mihi gratior una.
« Roma » sonat; voci iuncta est vox *Terminus* illi... (2)

Excutior somno ; mihi terminus ille malorum
Pristinus ut redeat vigor efficit. Haud mihi curaest
Pulveris et fumi quod turpia sordibus ora,
Utraque nigra manus, color est nec vestibus ullus.

Iam properant omnes, proprio magis omnibus ipse
Linquere fumosam rhedam sedemque molestam.
Sarcina cuique manu pendet, iamque agmine longo
Angustum per iter luctatur densa caterva.

E tenebris turbae tandem lux laeta diei
Affulget, pressisque diu iam purior aér
Hauritur tandem.... Nunc, nunc patet omnibus illa
Urbs divina..., mihi tantum per somnia visa !

Heu miseros homines, oculi quibus irrita semper
Crudeles faciunt sibi quae pulcherrima finxit
Mens ignara mali !.... Plateas longasque domosque
Conspicio celsas, quas linea recta coēret :
Omnibus una est materies similisque figura,
Nulla habet ipsa suum quidquam, color omnibus idem..

Hoecine erat puero iam quod mihi pectus avebat
Utpote divitiis cunctis praclarior ? Ergo

(1) Auctor, qui in certamine poetico Hoeufftiano unus est ex iudicibus, quum nuper Roman altera iam vice inviseret, subiectum carmen in Urbis laudem composuit, nobisque dedit veniam in nostris paginis vulgandi. Ob summam erga Commentarium nostrum viri humanitatem amplissimas gratias referimus.

V. U.

(2) Ferriviarum maxima Urbana statio a *Terminis* vulgo audit ; quae vox apud populum a propinquis Diocletiani thermis corrupta est.

Tantum iter effectum est hominum ut stabula alta viderem
Tristia, nil illis distantia. quae mihi semper
Prospectum rapiunt dulci cum lumine solis ?
Sed toleranda minus res his accedit ; ab omni
Parte sonant strepitus varii, vox Itala nulla,
« *Billig Hôtel mein Herr* » clamant et « *Deutsche Bedie-*
[nung].

Discutio tamen hos tandem fugioque molestos ;
Ad puerum me converto, quem lumina nigra
Commendant, lepidus vultus, crispique capilli.
Et simul ille ad me se proripit..... heu, decus oris
Illud abit subito, nam vox me laedit acerba :
« *Wollen Sie Mosaik ?* » Non ultra taedia ferre
Sustineo, rapiuntque pedes ; mihi baiulus ipse
Hospitium, modicum quamvis, laeto ore saluto,
Perfugium quoniam certe praestabitur illo.

Aediles, quibus Italiae sunt oppida curae,
Quique urbes magnas, terrarum qui caput ipsum
Augustum custoditis ! laus magna manet vos,
Ut bene de patria meritos ; ne barbara verba
Hospitibus vexent aures ; sint Itala posthac
Quaecumque ad portas resonant ; vox illa canora
Excipiat cunctos intrantes omne laeto.
Hic labor, hoc pretium Vobis insigne decusque ;
« *Ipsa agit Italia* » at certe nunc *ipsa loquatur* !

« Roma - mora » o sapiens dictum ! Quid quaerit in Urbe,
Saecula cui capiti sanetam imposuere coronam
Tot numero, praclarorum fecunda virorum
— Nam quidquid sapimus, quidquid spiramus ab illa
Huc venit — quid, quaeso, igitur, quid quaerit in Urbe
Qui properans nunc hac amens, nunc cursitat illac ?
Quid sibi vult pecus hoc quod mercennarius iste
Per plateas ductat mutum, dein, siquid adest quod
Demonstrare liber iussit, subsistere cogit,
Stridulus et recitat sublata voce magister
Nomina, cumque annis longum quaecunque per aevum
Artifices posuere manus ? Non templa profanat
Grex rapide tabulas circumque altaria ductus,
Et praetervolitans sanctorum signa virorum ?
Historiam non ludibrium sibi fecit ineptus,
Flavia qui postquam perlustravit monumenta,
Festinat spectare ducem, qui torvus et iram
Vix capiens populum, cui per deserta salutis

Fecit iter, verbis merito castigat ; (1) ab illo
 Conversus miser, heu, fora pervolat, inscius ipse
 Se sacram calcare viam — dux ingerit illud —
 Et neque rostra videt populi nec templa senatus ;
 Sancta Petri delubra..... nihil nisi cogitat illud
 Tum se coniicit in rhedam, qua ductus ad ipsa
 De sibi concessa quantum sit tempore gaza
 Pontificum sumptura — dies namque exigit hicce
 Visitet ut Thermas ; tum quid, dic, quid sequitur, dux ?
 Appia, quam nosti latebris celare sepultra
 Condita Christicolis antiquis ; inde Latina
 Exhibuit postquam nobis monumenta virorum,
 Sculptilis artis amor quos claros reddidit, Urbi
 Restituet ; prius at visenda est regia Pauli
 Sancta ; sed hinc propera, ne nobis vespera sera
 « Pantheon » obscuret tenebris vel claudat Agrippae —

Historiam hic non ludibrium sibi fecit ineptus
 Et simul Urbem ipsam ? Scin Romam visere quid sit ?
 Romanum fieri primum. Se civibus addat
 Qui Röمام venit, et sedem sibi quaerat in Urbe,
 « Vivere » ubi possit, redditus neque cogitet ullos.
 Non antiqua etenim Roma est tantummodo, prisca
 Tempora non solum dat conspiienda : Latinos
 Terra premit veteres, ubi nunc gens ambulat illis
 Haud indigna..... minus certe nunc spernitur hospes
 Illie quisquis adest ; vultus iam cernit amicos
 Advena, qui civem Romanum consulit ore
 Inculo : quamvis balbutiat hospes, acutus
 Hunc « capiet » civis rèspondebitque benigne.
 Quodsi nil aliud nisi vocem mitteret ille,
 Auribus haud duris sentitur mira voluptas
 Romanis loquitur quoties. Tunc aspice vultus
 Ingenui quam sint, quam sint robusta virorum
 Corpora ; iudicium et si te non deficit omne,
 Haud mora cognosces quae sit « Romana venustas »,
 Lumina Romanae quo sunt ardore, capillos
 Undantes lepidus comptus quam condecerit ille,
 Quamque hic ornatus graciles teretesque figuræ
 Incessusque levis ! Quin et natura maligna
 Cui fuit, omne decusque simul sors dura negavit,
 Saepe oculos tamen ille tuos mentemque moratur :
 Contemplare inopes pauloque attentius hosce
 Aspice, nonne gregem sanctus Laurentius olim
 Hunc habuit, Frater quem pinxit amabilis ille
 Angelicus ? Sed quid pictores hic loquor et non
 Romanos laudo pueros laudoque puellas,

(1) Is est Moses, cuius marmoreum signum, opus immortale Bonarrotii, in basilica Eudoxiana, sive S. Petri ad Vincula, conspicitur.

Dulce deus populi ? Caelestes sumite vestros
 Inde choros, Urbinatis vestigia quisquis
 Nunc premis.

Haud, mihi crede, unquam spectacula Roma
 Grata magis dedit hospitibus, fastidia nostræ
 Dummodo ne teneant illos aetatis inepta.
 Adde quod huic praesunt lepido blandoque popello
 Nunc proceres, quorum est nocturna diurnaque cura
 Hospitibus ne quid desit quod commoda vitae
 Praebeat, utque illis mirabile quidquid in Urbe
 Apte dispositum et perfusum lumine claro
 Sit, quacumque iter, ante oculos : antiqua tuentur,
 Quidquid et aetati clarum deus attulit ulli
 Progeniem gratam ne possit fallere curant.
 Non salebrosa via est, non frustra quaeritur index,
 Et rapido curru cupies quocumque veheris.

Gratior at multo res his accedit : abundat
 Omnis aqua dulci vicus, quae flumine largo
 Decidit hic, salit hic, hic cursu ludit amoeno.
 Solis et ardorem si vis vitare, parata est.
 Haud procul umbra tibi ; non usquam gratior aura
 Captatur, patet aut prospectus pulchrior usquam
 Quam qua Romanus spatiatur cives et hospes.
 Praeclarum meritum non illis excidet unquam,
 O proceres vestrum, numquamque silebitur illud :
 « Edita depressis iunxerunt, collibus hortos ».

Ergo, age, in Urbe, hospes « placidam » circumspice
 [sedem
 Sis « placidus » cura, nunc otia grata capesse,
 Festina nunquam ; ne sint tibi tempora curae ;
 Hic etenim frustra non est quae praeterit hora :
 Semper adest aliquid dignum quod lumina quodque
 Aures detineat, modo sit tibi pectus apertum
 Moribus humanis populi verbisque iocosis.
 Exspecta « placidus » quid sit tibi Roma datura :
 Multa dabit : nostro non est locus ullus in orbe
 Largior, aut possis opulentior unde redire.
 Nempe ipse invenies gazam, te quae manet illuc.
 Nam dum delectant bona te praesentia gratum,
 Ingenium tibi fit sollers : antiqua resurgunt,
 Et quaecunque hominum moverunt pectora quondam
 Iam te cuncta movent. « Romam qui visere dignus
 Doctior inde redit »... Doctrinam quid mihi cantas ?
 Orbilos tolle hinc omnes. Vis noscere signo
 Quo pateat Romae te « mente animoque » fuisse ?
 Laeta domus quamvis maneat te, tristis abibis,
 Dulcique in patria stabit sententia certa :
 Dulcius esse nihil quam Romae **degere vitam**.



SPINELLI ARETINI TABULA DEIPARAM REFERENS IN CAELOM ASSUMPTAM

Nicaenum Concilium de sacra pictura adnotavit (art. 7), « non esse imaginum structuram pictorum inventionem, sed Ecclesiae catholicae probatam legislationem et traditionem »; scilicet qui ad rerum sacrarum repraesentationem accedat, nulli alii scholae sese conformare debere, non aliunde genii fervorem deducere, nisi ex catholicae Ecclesiae doctrina.

Id optime pictores illi prae ceteris senserunt, qui renovatae artis saec. XIII et XIV fuerunt auctores, industriaeque ac diligentiae suae propositum singulare sibi fecisse visi sunt, vim ac vigorem

in vultu Domini Nostri Iesu Christi ac Deiparae divino quodam flamme exprimere. Mundi sane Redemptor, infinitae caritatis holocaustum, in singulis mortalis vitae suaे tum secundis tum acerbis eventibus, ineffabili pulchritudine radians semper effingendus est; item in Mariae imagine mulier a fulgere debet specie maior quam pro humano habitu, eiusque divinae matris natura, augustior; aliquid denique ab omni mortali, ut ita dicam, concretione segregatum, et in Sanctorum quoque repraesentatione est exhibendum.

Divinitatis huius reddendae studium in tabula

quam lectorum oculis hodie subiicimus clarissime patet, qua Spinellus Aretinus una cum discipulis aliquot aut sociis, inter quos Laurentius Nicolai filius, Deiparam in caelum assumptam et a Christo regali diadematam redimitam inter Angelos et Sanctos pure ac sobrie retulit.

Quem quidem Spinellum eo religionis sensu comprehensum fuisse narrant, ut, quum in rebellium Angelorum e caelis expulsione depingenda Luciferum horribilis monstri sub specie reddidisset, tam multum ipse ex opere suo terrorem conceperit, ut per reliquam vitam omnem mentem exagitatam et convulsam reportaverit. Tantum pietas et ars in illo animo poterant!

COLLOQUIA LATINA

Explicationum repetendarum ratio. (1)

THEOPHILUS. — Repetistine hesternam explicationem epistolae Ciceronis?

URBANUS. — Nondum.

T. — Quid egisti?

U. — Fui in aliis occupatus.

T. — In quibus?

U. — In praecepsis grammaticae ediscendis.

T. — Utrumque faciendum fuit.

U. — Si socio non caruissem, hoc quoque forsitan praestitissim.

T. — Vis tecum repetam?

U. — Nihil malo.

T. — Agedum.

U. — Principio revocabo tibi in mentem ipsum epistolae argumentum: tu si diffidis memoriae, poteris in chartaceum libellum referre.

T. — Nullo negotio retinebo, si iterum audiero; nec enim est ita longum.

U. — Postea Ciceronem exponam verbum verbo, sequens constructionis ordinem; mox sententiam sententia, ut assolet praceptor.

T. — Et ut nos vult, sese imitantes, facere in repetendo.

U. — Postremo themata indicabo cum accidentibus, et syntaxes quasdam faciliiores.

T. — Obstringes me non vulgari beneficio. Sed cedamus in locum solitarium, ne quis hic nostra dicta arbitretur.

U. — Ecce nobis Gabrialem, Iacobum, Ferdinandum... Opportune convenient.

GABRIEL. — Tenesne, Urbane, memoria praelectionem?

U. — Propemodum.

G. — Vis una repetamus?

U. — Maxime velim. Sed cum Theophilo praestiturus antea eram explicationem epistolae Ciceronis, quam nobis commisit magister.

G. — Optime quidem; audiemus nos vicissim... Excutiamus igitur interpretationem vernacula teriae huius epistolae Ciceronis.

U. — Quid tertiae? Secundae dixeris.

G. — Falleris; tertiam enim praecceptor praescripsit exponendam.

U. — Quando istud fuit?

G. — Sabbato a meridie.

U. — At ego tunc non interfui.

G. — Ergo poenam meruisti.

U. — Siccine censes, severe iudex? Occupatus eram domi, nec abfui iniussu patris.

G. — Esto; sed tamen quaerere inde debebas quid, te absente, in schola actum fuerit.

U. — Fateor: cedo scholasticos commentarios tuos, quaeso, ut videam definite quid nobis cras reddendum sit.

G. — Signato eadem opera quam praescripsit magister praelectionem, et vale; alium mihi adiungam socium, quocun repetam lectionem; tecum tempus absumo inutiliter. — Iacobe?

IACOB — Quid vis?

G. — Repetamus una praelectionem.

I. — Non est mihi nunc otium.

G. — Quid habes negotii?

I. — Ludendum.

G. — An non potes semihoram detrahere ludo tuo?

I. — Gaudere consuevi cuncta relaxandi animi facultate: tu stude quantum lubet; ego vero ludam quamdiu licebit.

G. — Tandem nactus sum socium percommode quocum repetam. Ferdinand, completerisne memoria praelectionem?

FERDINANDUS. — Quasi digitos meos, aut nomen proprium.

G. — Visne examinemus nos inter nos?

F. — Quorsum istud? Solus repetivi satis: omnia teneo.

G. — Tamen ad confirmandam memoriam.

F. — Sit. Tu age praceptoris partem; ego discipuli.

G. — Evidem incipiam; sed alternabimus vices. Coniuga verbum *feror* in futurum infiniti modi.

F. — *Latum iri.*

G. — *Varia.*

F. — *Ferendum, am, um esse.*

G. — Recte. Quem casum admittit praepositio *subter*?

F. — *Accusativum aut ablativum.*

G. — *Ad libitum est ubique?*

F. — Minime quidem. Sed pro varia significacione, motus scilicet vel quietis, vario casu gaudet.

(1) Ex latinis colloquiis ANTONII VAN TORRE. — Passim retractavit. I. F.

G. — Forma gradum comparativum et superlativum a nomine adiectivo *malus*.

F. — *Peior, peximus.*

G. — Phui ! Et tu in frequentem illum errorem incidisti, quem toties praceptor reprehendit !...

F. — Ah ! *Pessimus.*

G. — Dicas nunc...

F. — Satietatem qua sum captus alterni huius sermonis ? *Magnam, maiorem, maximam ! Vale.*

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione S. Officii.

De dispensatione super impedimento disparitatis cultus absque debitibus cautionibus.

Sub die xvi mens. Aprilis MDCCXC propositae quaestioni : « An in concedendis ab habente a Sancta Sede potestatem dispensationibus super impedimento disparitatis cultus praescriptae cautiones semper sint exigenda », a S. Congregatione S. Officii responsum est : « Dispensationem super impedimento disparitatis cultus nunquam concedi, nisi expressis omnibus conditionibus seu cautionibus ». Nunc a Sacra eadem Congregatione quaesitum est :

1^o Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ab habente a Sancta Sede potestatem, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus impertita, valida habenda sit an non ?

Et quatenus negative :

2^o Utrum hisce in casibus, quum scilicet de dispensatione sic invalide concessa evidenter constat, matrimonii ex hoc capite nullitatem per se ipse Ordinarius declarare valeat, vel opus sit, singulis vicibus, ad Sanctam Sedem pro sententia definitiva recurrere ?

Responsum : Ad 1^m Dispensationem prout exponitur impertitam esse nullam. — Ad 2^m. Affirmative ad primam, negative ad secundam partem.

(Ex deer. d. xxi mens. Iunii MCMXII).

De Parochi adsistentia matrimonii mixtis, iu quibus praescriptae cautiones a contrahentibus pervicaciter detrectantur.

Quum per Decretum Ne temere diei ii Augusti MCMVII, n. IV, expresse ac nulla facta distinctione edicatur parochos et locorum Ordinarius valide matrimonio ad sistere, dummodo invitati ac rogati... requirant excipiantque contrahentium consensum ; graves in praxi difficultates ortae sunt relate ad mixtas nuptias in quibus, denegatis pervicaciter a partibus debitibus cautionibus, Sancta Sedes, attentis peculiaribus quorumdam locorum circumstantiis, materialem tantum parochi praesentiam, per modum exceptionis ac veluti ultimum tolerantiae limitem, antea aliquando permiserat. Re delata ad S.

Congreg, S. Officii, cui ex praescripto apostolicae Constitutionis « Sapienti consilio » integra manet facultas ea cognoscendi quae circa impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, Emi. ac Rmi. Dni. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, decreverunt « praescriptionem decreti Ne temere n. IV, §. 3, de requirendo per parochum excipiendoque, ad validitatem matrimonii, nupturientium consensu, in matrimonii mixtis in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes renuant, locum posthac non habere ; sed standum taxative praecedentibus S. Sedis ac praesertim sa. me. Gregorii PP. XVI (Lit. Ap. d. xxx mens. April. MDCCXL ad episcopos Hungariae) ad rem concessionibus et instructionibus : facto verbo cum SSmo ». Qui quidem SS. D. N. Pius PP. X relatam sibi resolutionem adprobavit ac suprema auctoritate sua in omnibus ratam habuit.

(Ex deer. d. xxi mens. Iunii MCMXII).

Ex Congregatione Rituum.

Declarationes circa novas Rubricas.

I. — Quandocumque in feriis maioribus Missam propriam habentibus ceterisque diebus, de quibus tit. X n. 2 et 5, Missa de feria celebretur, dummodo reapse pro defunctis applicetur, addi potest oratio pro defunctis in quorum suffragium celebratur, etiamsi in ea agenda sit commemoratio de occurrente festo duplici minori vel maiori.

II. — Huiusmodi oratio pro defunctis non excludit in casu orationes de tempore, nisi occurrat commemo ratio duplicitis.

III. — Quando additur ista oratio pro defunctis, non est attendendus numerus orationum utrum sit dispar an non.

IV. — Haec eadem oratio pro defunctis semper recitari debet paenultimo loco inter orationes ea die a rubricis praescriptas vel permissas, non computatis collectis ab Ordinario imperatis.

V. — Oratio pro defunctis, in quorum suffragium Missa de feria applicatur, addi potest, etiamsi ea die a rubricis praecipiatur oratio *Omnipotens sempiterne Deus* pro vivis et defunctis, vel *Fidelium* pro omnibus defunctis.

VI. — Ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis indulgentia altaris privilegiati, oportet ut, diebus in quibus a novis rubricis permittitur, missa de feria omnino celebretur, addita ut supra oratione pro defunctis pro quibus Missa ipsa celebratur.

VII. — Licet iuxta novas rubricas tit. VIII, n. 2, cessata sit obligatio recitandi in choro officium defunctorum, nihilominus adhuc servari debet rubrica missalis tit. V, n. 1 et 2, circa Missam pro defunctis celebrandam, sive in cantu cum praesentia choralium, si agatur de Missa conventuali, sive lectam extra chorum iuxta novas rubricas tit. XII.

(Ex deer. d. xii mens. Iunii MCMXII).

Dubia.

I. — Quando Dominica occurrit a die 25 ad diem 28 mens. Decembbris inclusive, Rubrica praescribit Officium huius Dominicæ die libera 30 Decembbris celebrandum. Nunc vero pluribus in dioecesis die 30 Decembbris impedita est aliquo festo novem Lectionum. Quaeritur quid agendum in casu. — *Resp.* Officium Dominicæ infra Octavam Nativitatis transferenda ea die ponatur quae festum minus nobile in occurrentia, a die 29 usque ad 31 Decembbris; secus peragendum foret, salvis Dominicæ iuribus in concurrentia. Quod si omnia festa a die 29 ad 31 Decembbris occurrentia ritum duplice I aut II classis obtineant, commemoratio Dominicæ fiat in Festo ut supra minus nobili. In paritate nobilitatis Officium aut commemoratio Dominicæ fiat in festo prius occurrente.

II. — Iuxta recentem Constitutionem *Divino afflatus*, tit. IV, n. 3, festum sanctissimi Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimæ mens. Septembbris. Quaeritur ergo: Num ecclesiae quae hoc festum tamquam Titulare usque ad hodiernam diem coluerunt Dominicæ infra octavam Nativitatis B. M. V. sub ritu duplice I classis cum octava, ipsum recolere in postrem debeat die duodecima mens. Septembbris cum Ecclesia Universalis, servatis privilegiis quae Titularibus competunt? — *Resp.* Affirmative.

III. — Pluribus in locis festum Sanctissimi Nominis Mariae ritu duplice I classis cum octava recolitur. Queritur: An istis in locis Octava Nativitatis B. M. V. casset omnino, adveniente festo Sanctissimi Nominis; an potius suspendatur tantum, ita ut die xv mens. Septembbris agendum sit de die Octava ipsius Nativitatis, omissa commemoratione Octavae Sanctissimi Nominis? *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

IV. Ex novis dispositionibus saepe accidit ut festa, sive duplia maiora, sive sanctorum Doctorum simplicanda sint ob occursum alicuius festi translati ritus duplicis II classis. Quaeritur ergo: Num symbolum addendum sit in Missa de isto festo translato quod per se symbolum non admittat, si in ea facta sit commemoratio alicuius festi occurrentis ritus duplices maioris aut minoris, quod ius habeat ad symbolum in Missa? — *Resp.* Affirmative.

V. — Collectae ab Ordinario imperatae, ex novis rubricis, tit. XI, omittendae sunt, quandocumque in Missa dicendae sint plusquam tres Orationes a Rubrica eo die praescriptae. Quaeritur ergo: An Collectae omittendae sint, quando in Missis privatis, post tres Orationes eo die praescriptas, addita est oratio Sanctissimi Sacramenti publice expositi, vel pro Papa aut episcopo in respectivis anniversariis electionis, seu consecrationis aut coronationis? — *Resp.* Affirmative.

VI. — Quum in tabella Occurrentiae perpetuae numero a S. Rituum Congregatione edita evidenter mendum irrepserit typographicum in quadrangulo in quo sibi in-

vicem occurront Simplex cum Simplici, ubi legendus est numerus 7, et non 8, dubium oritur, an aliud pariter mendum sit in quadrangulis in quibus sibi invicem obveniunt Duplex maius et minus, cum Vigilia Epiphaniae, ubi loco numeri 3 videtur quod legi debeat numerus 6, eo quod Officium ipsius Vigiliae gaudeat privilegiis Dominicæ, ac proinde praevalere debeat, ex novis Rubricis, duplii minori et maiori quod non sit festum Domini. Quaeritur: An revera in praedictis duobus quadrangulis legendus sit numerus 6, ita ut in casu agi debeat de Vigilia Epiphaniae, cum perpetua repositione Duplicis occurrentis? — *Resp.* In tabella Occurrentiae perpetua menda corrigantur ita ut in quadrangulo in quo sibi invicem occurront Simplex cum Simplici, ponatur numerus 7, et in quadrangulis in quibus occurront Duplex maius et minus cum Vigilia Epiphaniae, ponatur numero 6: et Vigilia Epiphaniae, privilegiis Dominicæ gaudens, tum in occurrentia quam in concurrentia, Duplii etiam maiori semper præferatur.

(Ex deer. d. xxi mens. Iunii MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iulio MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificium Hispanicum Collegium de Urbe; Bruno Chaves, doctor, Brasiliæ minister apud Apostolicam Sedem; Carolus De Loppinot, Comes; Ulixes De Nunzio, Comes, apud Atheniensem nuperum Orientalium rerum studiosorum conventum Pontificis legatus; manus peregrinorum Castellariorum; Otho von Muehlberg doctor, Borussorum minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Aloisius ex Urbanis Principibus Lancellotti; Caffarelli, Urbanus Dux; Nicolaus Boulatzef, Russici Imperii legatus apud Apostolicam Sedem; Ioannes Schomburg-Hartenstein, Princeps, eodem munere fungens pro Austrorum Hungarorumque Imperio; Carmelus Arango, doctor, Columbiæ apud Apostolicam Sedem cum omni potestate minister, Bartolomaeus Nogara, Comes, Musei Hetrusci Gregoriani praefectus; manus peregrinorum ex Moravia, ex nordica America, ex Peruviana civitate.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiæ. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Titulari ecclesiae episcopali Clazomensi praefecit sac. Patritium T. Ryan, dioec. Pembrokiensis, ibique vicarium generalem et parochum loci vulgo Renfrew; tit. eccl. archiepiscopali Chersonensi sac. Donaldum Aloisium Mackintosh, archidioec. Glascensis, ibique vicarium generalem et praepositum capituli metropolitani; metropolitanae eccl. Bambergensi sac. Ioann. Jacob Hauck, eiusdem dioec., ibidem parochum eccl. S. Elisabeth in civitate Nürnberg; tit. eccl. episc. Lamiensi

sac. Ioann. Mc Intyre, canonicum theologum metropolitanae eccl. Birmingamiensis; tit. eccl. episc. Azotensi sac. Ioannem Iosephum Mc Cort, archidioec. Philadelphiensis, ibidem vicarium generalem, quem constituit auxiliarem reverendissimi Edmundi Prendergast, archiep. Philadelphiensis; tit. eccl. episc. Philippopolitanae sac. Georgium Gauthier, eccl. metropolitanae Marianopolitanae canonicum et parochum, quem constituit auxiliarem revmi. Pauli Bruchèsi, archiep. Mariano politani.

Nominationes Episcoporum. — Brevibus Apostolicis nominati sunt: r. p. Petrus Ludovicus Genoud, sacerd. Congregationis a Spiritu Sancto, episcopus Guadalupensis; r. d. Ioannes Petrus Rey, alumnus Seminarii Parisiensis pro missionibus ad exterias gentes, archiepiscopus Tokiensis; r. p. Ioannes Ephrem Bartreux, e Societate Mariae, episc. tit. Mustitanus et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Apostolici insularum Salomoniarum meridionalium; r. d. Ioannes Claudio Combaz, alumnus Seminarii Parisiensis pro missionibus ad exterias gentes, episcopus Nagasakiensis; r. p. Henricus Léonard, e Societate Missionariorum Africæ, episcopus tit. Tipositanus et Coadiutor cum iure futuræ successionis Vicarii Apostolici Unaniembensis in Africa centrali.

— Qui Purpuratum Patrem Gulielmum Van Rossum, Pontificium legatum ad Conventum Eucharisticum Vindobonae proxime habendum, comitentur, deputati sunt: Jacobus Sinibaldi, Protonotarius Apostolicus, Canonicus Vaticanus atque Rector Lusitani Collegii de Urbe; Hernestus Schönberg - Roth - Schönberg Dynasta, Eques ab ense et lacerna *de numero* apud Pontificem; Aloisius e Principibus Lancellotti, eques ab ense et lacerna *supra numerum*; Ioannes Borkovic, Camerarius honoris SS. Mihi., Rector ecclesiae S. Hieronymi Illyricorum de Urbe.

— Rmus. Dnus. Eugenius Pacelli, Pro-Secretarius S. Congregationis Negotiorum Ecclesiasticorum extra ordinem renuntiatur; et revmus. dnus. Sanctes Tampieri, alter a secretis ipsius S. Congregationis.

— Rr. pp. dd. Petrus Maria Gendreau, episcopus tit. Chrysopolitan, et Vicarius Apostolicus Tonkini occidentalis; Sylvester Gomes Pimenta, archiepiscopus Mariannen.; Carolus Lavigne, episc. Trincomalien.; Adulfus Medlycott, episc. tit. Tricomien.; Thomas Kennedy, episc. titul. Adriopolitan. et Rector Urbani Collegii Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, inter Episcopos Pontificio solio adstantes referuntur.

— Rmus. dnus. Ioannes Maria Zonghi, Praeses deligitur Pontificiae Academiae Nobilium Ecclesiasticorum.

— Rmus. dnus. Albertus Arborius Mella de Santo Elia ex intimo cubiculo Summi Pontificis dicitur, loco r. p. d. Adam Sapieha, nunc Episcopi Cracovien.

Varia.

Die xx mens. Iulii in Xystino sacello adstante Pontifice iusta funebria peraguntur pro Leone XIII P. M., nono recurrente anno ab eius obitu.

Vita functi viri clariores.

Die xxxi Purpuratus Pater **Antonius Hubertus Fischer**, archiepiscopus Colonien., Julich in oppido natus d. xxx mens. Maii MDCCXL, Episcopus tit. Iuliopolitan, renunciatus an. MDCCXLXXXIX, ad metropolitanam ecclesiam Colonien. promotus d. XXVIII mens. Ianuarii MDCCCCIII, in Sacrum Senatum cooptatus, titulo SS. Nerei et Achillei, die XXI Iunii eiusdem anni; vir multarum litterarum, ac pietate insignis.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

Italica virtus novam postremis hisce diebus eamque singularem sibi peperit gloriam, quam fortasse nemo antea unquam. Quum enim dubitaretur an Turcica classis e suis stationibus in Aegeum mare improviso adveniret, naviculae quinque ex iis, quae silurantes vulgo appellantur, ad pugnam instructae, Henrico Millo duce, die XIX mens. Iulii, noctu ausae sunt in Hellespontum se immittere, neque, detectas atque ignivomis tormentis impetitas, prius recedere, donec certiores fierent, hostes, ceretariis ex chalybe protectos et quasi in cavea custoditos, mari, nunc saltem, nec offendere nec offendi posse. Iuvit audentes fortuna; nam heroes tam strenue de vita sua dimicantes incolumes omnes ad suos Stampaliam in insulam reverterunt.

In Libya autem lenta illa penetratio perdurat, quam summus belli moderator sibi tamquam supremam belli rationem prospere constituit. Elapso mense, Misurata urbem, impetu facto, occupavit, ac deinde Sidi Ali oppidum; hostiumque copiae dissipatae facile sunt Ascian et Gheran in oasibus, et prope Bengasi ac Derna urbes. Subaqueus denique telegraphus Syracusis ad Tripolim est positus.

Turcarum internae res.

Quod si Turcae ad proeliares pugnas hostes lassessere vitant, eoque magis in proposito hoc insistendum hodie iis est, quum civiles illorum res in gravi discrimine versentur. Epirotarum enim regio fere omnis a rebellibus submovetur, quumque ad morbo huic efficienter medendum discordes essent administratorum sententiae, Said praeses a munere abdicavit, eumque ceteri collegae sequuti sunt. Tum vero quam rerum status difficilis esset apparuit, optimo quoque viro huiusmodi successionem recusante, cuius reapse gestio apud Iuvenum Turcarum factionem illam remaneret, unde tot tanquam mala civitati parta sunt, quum e contra nova inter partium studia factio militaris constitueretur, statim et aperte minitans sese ferro et igni usuram, nisi legatorum publicus coetus dimitteretur, per vim omnem adversus civium voluntatem creatus. In tanta rerum iniquitate gubernacula imperii tandem suscepit Ashmed Ghazi Muchtar, praeses Senatus, vir prudens satisque versutus. Quo tamen se convertet? Dum scribimus in incerto adhuc manet.

Regia itinera.

Praeter huiusmodi eventus, nihil aliud memoria dignum Iulus mensis obtulit, si regalia itinera exceperis, cuius exitus, ut verum dicatur, nondum

sensibiles facti sunt. Gulielmus, Germanorum Imperator, ad Portum-Balticum convenit cum Nicolao, Russorum Caesare, qui deinceps ad Petropolim Suetiorum regem ac reginam sollemniter excepit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** secunda vice de comitiorum reformatione disceptatum. Agitata pariter quaestio est de « transpersiana ferrivia », deque nuova pecunia pro classi suppeditanda.

In **Gallia** de nova comitiorum lege a se proposita, cui radicalium et socialistarum factiones acerrime obstabant, Poincaré, administratorum praeses, triumphum reportavit.

In **Russia** de coloribus in civitatis vexillo immutandis lata his terminis lex, ut vexillum idem in posterum albo, flavo nigroque constet.

In **Sinis** prima generalia comitia ad Novembrem mensem indicta.

In **Suetia** pecunia ad classem augendam decreta.

PER ORBEM

Die IV mens. Iulii MCMXII Gutehoffnung in fodinis ex gasio improviso incenso disruptio fit, qua opifices quatuordecim misere necantur.

— d. V Lutetiae Parisiorum Leonardus ille *da Vinci*, Italorum pictor maximus et machinator, tamquam aviationis quoque precursor sollemniter celebratur.

Corming, in ferriviaram statione Neo-Eboracensis civitatis Septentrionalis Americae, ex curru serie vapore actorum in aliam occursum, quadraginta viatorum victimae lugentur.

— d. VII Stocolmae in urbe, Olympici ludi, ad quos heroes ex omnibus orbis populis conveniunt, coram Suetico rege inaugurantr.

— d. VIII novae ex fodinis ruinae nunciantur. Sheffield enim, Anglico in oppido, horrendam mortem in iis inveniunt septuaginta et ultra cunicularii, ipseque effosionum magister.

— d. XII autem, in fodinis apud Mountsville, in civitate Virginia occidentali, operarii ad centum numero crudeli eidem fato immolantur.

— d. XIV Massiliae in urbe ab opificibus maritimis rebus vacantibus, labores suos deserentibus, tumultus fiunt, in quo tum urbani vigiles, tum ipsi rebelles vulnera reportant.

— d. XVII nuncium affertur Hubertum Latham,

Gallicum illum aviatorem notissimum, dum in equatoriali Africa animi recreandi causa venationi intendit, a feroci bubalo occisum fuisse.

— d. XXII in Scotia Andreas Lang, Anglorum scriptor magna laude merito celebratus, supremum diem obit.

— d. XXIV Londini immane incendium *celluloidis* quamdam officinam absunit, neque vitae operariarum mulierum septem eheu! parcit.

— d. XXVI incendium alterum, in vinariis cellis Epernay civitatis exortum, in pulverem dolarios aliquot acerbe reducit.

— d. XXVII et tertium incendium Kotan ex urbe nunciatur, quatuor millia domorum comburens.

— d. XXVIII Fischer aviator eiusque machinator ab excelso aere in terram cum velivolo praecipitant, subitamque morte oppetunt.

— d. XXIX Tokio in urbe vita fungitur Mutsuhito, Iaponiae Imperator, civitatis suae tam optime meritus, ut iure pater patriae meruerit cognominari. Natus erat Kioti die III mens. Novembris MDCCCLII, thronumque ascenderat d. XXXI mens. Ianuarii MDCCCLXVII. Ei succedit Yoshihito filius natu maximus, trigesimum ac tertium nunc annum agens.

LIBRORUM RECENSIO

Etude morphologique sur les Pronoms personnels dans les parlers actuels du Nivernais... par JEAN MARIE MEUNIER. — Paris, H. Champion, 1912, in 8^o pag. XVIII-124.

Monographie phonétique du parler de Chaulnes (Nièvre) per eumdem. — Ibid., in 8^o pag. XX-222.

In dupli hoc opere, quo auctor sibi nuper lauream doctoris litterariorum splendide emeruit, mira scriptoris elucet eruditio cum in veteri lingua latina, praesertim rustica, tum recentiorum linguarum et dialectorum, quae a latina originem duxerunt. Quum tamen universa haec materia nimium sit ampla quam ut paucis voluminibus expediatur, auctor noster suas investigationes ad unam restringit regionem Nivernensem, ubi, quo tempore Caesar suos *Commentarios* scripsit, Aeduenses degebant, populi Romani amici, immo et fratres, uti eos appellat Cicero in suis *Epist. Famil.* (VII, X) et *ad Attic.* (L., XIX). Horum lingua, Caesari cognita, Celtica erat, quam Bardi canebant Druidesque ore tenus suos docebant discipulos. Qui disciplinae cursus interdum ad viginti perdurabat annos, donec nempe memoriter tenerentur viginti illa versuum millia, quibus Galli seu Celte doctrinam suam omnem complexi fuerant. Mature tamen horum lingua, nullis aut fere nullis tradita scriptis, sub dominatione Romana apud Aeduos in desuetudinem abiit perire, ita ut

rarae admodum ibi supersint celticae inscriptiones. Multorum tamen oppidorum fluviorumque nomina celticam produnt originem, ea imprimis quibus affixa era gallica desinentia *acos vel acum*, uti Amatiacum (*Amazy*), Atiacum (*Azy*), Certiacum (*Cercy*), etc.

His generatim praemissis, Meunierus noster in prior i suo libro erudite persequitur rationem, qua pronomina latina paulatim, saeculis labentibus, immutata fuerunt in eas voces dialecticas, quae hodie apud Nivernenses existunt, quaeque in locis etiam vicinissimis aliae ab aliis differunt. — In altero autem libro ostendit quomodo, in ipso suo pago nativo, vocales, diphthongi et consonantes paulatim a sonis primitivis rusticae linguae latinae deflexerunt in eum modum, qui nunc in illa dialecto obtinet. Quae omnia ut clarus scriptor secure assequeretur, nihil operae et laboris fugit, impensis in hoc studio annis compluribus, et consultis centenis variorum pagorum incolis, praesertim senioribus, apud quos dialectorum forma sincerior permanserat. Gratulamus egregio philologo arduum quidem, at studiosis linguarum proficuum, opus aggresso.

FRANCISCUS XAV. REUSS.



LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

J. M. MEUNIER. *Etude morphologique sur les Pronoms personnels dans les parlers actuels du Nivernais.* — Lutetiae Paris. edid. H. Champion, 1912.

ID. *Monographie phonétique du parler de Chaulgnes (Nièvre).* — Ibidem.

E. MERIC. *Guida e conforto nel dolore.* Traduzione Italiana sulla terza edizione francese di F. R. C. — Romae edid. Desclée et Soc. — (Ven. lib. 2).

Ordo Divini Officii recitandi Missaeque celebrandae iuxta Kalendarium Cleri Romani, additis variatioibus pro Kalendario Ecclesiae Universalis pro anno MCMXII. — Ibid. — (Ven. lib. 0,75).

Mgr. D. S. CARACCIOLI DI TORCHIAROLO, vescovo di Aversa. *Il celibato ecclesiastico.* Studio storico teologico. — Ibid. — (Ven. lib. 1,25).

Trilogja Józefa z Wielkopolski. Milosc i Sztuka — Czy Milosc, czy Namietnosc? — Magdalena. Warszawa. Sklad Glowny w Ksiegarni E. Wende, 1912 — (Ven. 75 kop.)

NUMISMATUM COLLECTORIBUS MONITUM

Apud *Vocem Urbis* numismata plura ex iis quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant.

Sunt inter haec *numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.*

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem et oblationem suam scriptis mittat ad *Doctorem Iosephum Fornari Commentarii Vox Urbis* Moderatorem, Romam (*Via del Governo Vecchio, 96*).

AENIGMATA

I.

I (vulgo REBUS).

LUPUS
AGNUS

II.

Peram teneto, nam veniunt duo
A te, parati, ferre pecuniam.
Sed fac ut hic post alterum stet:
Quodque sues comedunt habebis.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
(Edidit BRANDT).

Aenigmata an. XV, n. V proposita his respondent:

1) Mars-Mors ; - 2) Ros-a.

Ea rite soluta miserunt:

Augustus Scriban, *Iassii.* — P. C. Peltemburg, *Soeterwonde ad Lugdunum Batavorum.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — I. M. Meunier, *Corbiniano* — Alex. P. Gest, *Trentonio* — Lud. Kobierzycki, *Leopoli.* — Iac. Fortina, *Arona.* — Steph. Dantas, *Natal in Brasilia.* — Ioan. Galbiati ; F. Arnori, *Mediolano.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — A. Bounin, *Aureliano.* — F. X. M., *Drepano.* — St. Kempa, *Agrodnia.* — P. Prado, *Venetis.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Petrus Tergestinus. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — E. Burg. *Monachio.* — Vinc. Starace, *Neapol.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Georg. Archanbeault, *Quebeco.* — Alb. Cain ; Ant. Witheside, *Dublino.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Ant. Masia, *Terragona* — Iac. Meneudez, *Madrito.* — Eug. Dolmar ; Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* Barth. Ferraris, *Aug. Taurinorum.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Clem. Fiard, *Curia Rethorum.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — F. Ricci, *Florentia.* — Raim. Silvan, *Londino.* — R. Richi, *Traianopolis.* — Nic. Endrigi, *Salisbury.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — F. Ortiz, *Morelia.*

Sortitus est praemium :

ANTONIUS WHITESIDE,

ad quem missa est IOANNIS FRANCESIA actio dramatica, cui titulus :

EUPLIUS.

Sponsor : IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE officina Societatis Editricis Romanae.

ANTHEA

(6)

(Ex fabula H. SIENKIEWICZ Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

Iamque, expedita via, ad supplicii locum traxerant Nazarenum, ubi rupis hiatui triplex erat infixus palus, fundamenta ponendis crucibus. Anthea diu multumque tentaverat erecto capite intentisque oculis, si forte posset optabili sane obtutu iterum frui. Sed ubi verticem collis occupavit cohors, tum demum potuit per illuc adstantium spissas cervices, quasi per rimas identidem prospicere modo sertum cruentum, modo ludieram purpuram, modo ipsum vultum vicinae mortis pallore suffusum.

Dum tota in eo est, ecce lecticae proximus, quidam, albo amictus epitogio, spargit pulvere caput, magnaue voce ac flebili exclamat :

— Lepris affectum me ille sanavit, quem modo agunt in crucem.

Hoe perculsa clamore mulier:

— Audistine, Cai? Ipse sanavit.

Cui ille :

— Libetne discedere?

At uxor :

— Sine, quaequo, consistam.

Animum sibi frangi Cinna sensit, incuriaeque poenituit, qui singularem plane medicum non hospitio excepisset.

Rebus ab supplicium dispositis ac paratis, laceratum corpus una cum cruce attollitur; iamque ex militibus quidam suffigendis pedibus admovet clavos.

Interea sensim obscurari caelum; obducto sole de-colorari colles; sanguineo rubore, qualis esse solet inclinato in vesperum die, infici nubes; mox ingruentes tenebrae omne lumen eripere. Simul aestus tam gravis afflat, vix ut anhelis naribus captari aura ducique spiritus queat.

— Abscedamus — inquit Cinna.

— Sine, quaequo, aliquanto diutius, rursum ut videam hominem.

Tum Cinna iussit admoveri lecticam crucibus. Intendebat mulier oculorum aciem in medium lignum, quasi in obscuriore tractum nubis, in qua libratum corpus collucere videbatur; adeo, recedente vitali calore, expalluerat. Dum vero notat attentius et refugientes oculos, et collapsa tempora, et difficili anhelitu agitatum pectus, confusum repente auditur murmur: mox horrifica luce micat fulgur ingenti fragore. Terra contremis: ineondito clamore, seu verius lugubri ululatu gemitique edito, fit omnium fuga praeceps, urgente terrore: facies erat discribinis universi.

Verum, ubi restituta quies respirandi spatium dedit, plurium invidia in misericordiam conversa variae hic illuc subortae sunt querimoniae: iniuria affectum supplicio sanctissimum hominem, veri praeconem, virum plane divinum, qui vel mortuos excitaret.

— Vae tibi, Hierosolyma! — audita vox est.

Alius vero :

— Terra tremit.

Gliscentem rumorem intercepit iterum repentina lux fulguris, et, proh miserum, subito ietu concidit Anthea. Ad novam causam terroris fit raptim concursus; at brevi. Nam sedato statim turbine diffractisque nubibus, conspecta est concitato ore alloquens virum. Nempe non ipsam fulmen, sed, eo internitente, supremus icerat morientis obtutus.

Interea paullatim caelo solique redditis omnibus, scena patuit omnium miserrima. Cruce pendet reclinato capite iuvenis, cereo vultu, vitreis oculis, ore subnigro. Adstat Mater immota, attonita, stupenti similis. Circum reliquae mulieres inter manantes lacrimas et suspiria conclamant :

— Excessit!

— Excessit! — inquit Anthea, idemque reddidit Cinna. Tum vero accedens centurio quidam ad extremum crudelitatis ludibrium servatum hominem ense transverberat.

Rem sane miram quod spectaculum duplex pacaverit turbam, alterum extincti hominis, alterum renidentis iterum solis. Tum subeundi propius Antheae auditae sunt voces « Descende de cruce ». Illa autem diu mirata reclinatum caput et exangue corpus, secum reputabat, fierine posset ut mortuus ille revivisceret. Sed vehementius angebatur Cinna, qui etsi nulla spe tenebatur resurrecti Nazareni, persuasum tamen habebat, eundem potuisse vivum Antheae morbo mederi. Iterantibus autem vocibus: « Descende de cruce »:

— Descende — et ipse clamavit moestissimo gemitu;

— sana aegram, meque tecum rape.

*Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresque cadunt altis de montis umbrae.*

Quare Cinna iussit lecticarios moveri. Anthea, ubi domum se recepit:

— Hodie — inquit — horrenda visa obiecta sunt nulla.

Sed neque crastinus attulit dies. Qua de causa laxata aliquantulum vis morbi est. Anima quoque erigendo multum profuit Timonis adventus, qui gravibus Cinnae litteris excitatus, quam potuit celerrime contendit, ut extremum videret filiam.

Interim Cinna quidquid in utramque partem aut metus aut spes subiecerat secreta aestimatione pensabat; quietis intervallis usam quidem fuisse alias uxorem; non tamen bidui; quod animum recepisset, eius rei causam facile esse aut patris contubernium, aut excitatores ferali spectaculo sensus.

(Ad proximum numerum).

PETRUS ANGELINI.